

Febrem miliarem / ... proponit Ulric. Frid. Varenbüler.

Contributors

Varenbüler, Ulrich Friedrich.
Gmelin, Johann Georg, 1709-1755.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Erhardianis, [1752]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pk9eyv89>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6

FEBREM MILIAREM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM
ORDINIS

PRAESIDE

D. IOANNE GEORGIO
GMELIN,

BOT. ET CHEM. PROF. PUBL. ORD.

FACULTATIS p. t. DECANO

D. XXXI. OCTOBR. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
CONSEQUENDIS

PROPONIT

ULRIC. FRID. VARENBÜLER, Waibling.

TUBINGAE

LITTERIS ERHARDIANIS.

JOHN H. CLARK, M.D.

PHYSICIAN

OF THE

UNITED STATES ARMY

AND

NAVY

OF THE

UNITED STATES

ARMY AND NAVY

OF THE

UNITED STATES



* * *
* * *

FRANC. BACO DE VERVLAMIO * adserit, *multis morbis tam epidemicis, quam aliis, suum & proprium sciviendi tempus esse, falso id imputari aëris per id tempus constitutioni, cum lateat caussa in antecessanei temporis deuoluto in illud circuitu & serie, tempestates anni copulante.* Id accuratis adstruxit observationibus THOMAS SYDENHAM, qui successionem quorumcunque morborum & tempestatum adnotatam nobis per aliquot annos continuos exhibuit, & morborum imprimis epidemiorum in varios alios non epidemicos effectum ita ob oculos posuit, ut manibus palpare fere potuisset, qui ratiocinandi dono non fuisset præditus. Præsens esse gravidum futuro in adagium fere abiit. Saltem experientia discendi cupidos quoscunque de hoc edocuit, ut demonstratione rigorosa supersedere possimus. Quum vero ex aliquo tempore purpuram tam albam quam rubram nostris regionibus denuo familiarem factam esse agnoscant omnes, qui in illis morantur, primam saltem BACONIS thesin nouo testimonio confirmatam volo, & simul rationem reddo, cur de hoc morbo agere mihi propositum sit, de quo permulta jam scripta prostant tum in specialibus tractationibus, tum disputationibus academicis. Non vero me in omnem purpuram diffundam, sed tantum albam mihi excutiendam proponam, utpote, quæ

A 2



quæ propter discrimen, in quod conjectat ea laborantes, majori attentione & solitudine digna est. Faxit Deus, ut qualescunque nostræ meditationes in ægrotorum cedant salutem!

CAPUT I. VARIA GENERALIA CIRCA FEBREM MILIAREM EXHIBENS.

§. I.

Febbris miliaris purpuræ nomen diu jam obtinuit, quod a colore deriuatur, quo hic morbus cutem plerumque externe tingit, purpureum imitante, licet morbilli & petechiæ eundem colorem in cute præ se ferant, quæ & posteriores ideo etiam a Gallis & Italis *purpura* aut & *februm purpuratarum* nomine veniunt. Sed & eodem nomine hæ febres apud Germanos fuerunt insignitæ, teste NEUCRANTZIO, qui de *purpura* singularem conscripsit librum, in quo nihil præter petechias descriptas videas, quibus synonyma est *febris punctularis*, *peticularis*, item *pulicaris*, *stigmatica*, *maculosa*, *lenticularis*, testibus ZACUTO prax. hist. lib. ult. cap. 28. & lib. 3. prax. med. admir. obs. 13. COSTAEO & MONGIO comm. in AVICENN. l. 4. f. 1. tract. 4. cap. 8. NICOL. BOCCANG de morb. mal. & pest. cap. 34. & BRUNNERO Consil. XLIII. p. 238.

§. II.

Purpuræ nomen promeruit *febris miliaris* in Germania ipso illo tempore, quo primum grassari observata est, forte, quia denominatione *purpuræ* ad febres petechiales exprimendas non opus esse & potius congruum videbatur, nomen *purpuræ* retinere, aliamque significationem tribuere ad exprimendam novam febris malignæ speciem, aut quod forte magna videbatur esse convenientia inter symptomata *purpuræ* superiorum temporum & *febris miliaris*, præcipue etiam propter eundem colorem macularum in petechiis & pustularum in febre miliari. Licet vero postea *febris miliaris* non tantum rubra sed & alba observaretur, uti mens humana novitatis cupida, ita etiam veterum rerum tenax, maluit *sideroxylon*, *purpuram albam*, statuere, quam nomen mutare. Primum autem in Germania Lipsiæ ante centum circiter



citer annos prodiit, vbi in puerperis magnam stragem edidit, & multas tunc tristi mortis fato subjecit.

§. III.

Perquam maligna tunc audiebat hæc febris, & atro carbone notata est, quod ea vltra sortem aliarum febrium mali moris esset; leuamentum præ se tulerit, sed interius morbi malignitatem occultauerit; quod ipsa ejus symptomata maiorem, quam visa sunt, perniciem secum tulerint, & curationem solito graviolem reddiderint; quod hæc symptomata vltra sortem, quam in aliis morbis exprimunt, ac tunc referre videbantur, prava fuerint. Notio hæc ab hominibus desumpta est, qui subdolo sunt ac depravato animo, alia loquentibus, alia cogitantibus, & leui opinione facile mutabilibus, hinc & proteiformes ejusmodi febres a multis salutantur. Huc jam referuntur pleræque febres miliares, petechiales, synochi putres, variæque epidemicæ, quæ sæpe etiam pestem prægressæ vel illam infecutæ sunt. Hæ enim omnes subdolam indolem secum ferunt, tv judicium e symptomatibus plerumque fallat, ita vt exitus plerumque alius & gravior sit, quam ab initio conjectabatur.

§. IV.

Multa inter se communia habent febres malignæ, ita vt nonnunquam difficile sit, illas inter se distinguere. Quare nullum mihi dubium est, quin omnes & singulæ a multis & remotissimis annis existerint, forte vna pro altera habita fuerit, * quædam non frequenter grassatæ, ideoque a medicis eorum temporum silentio prætermissæ fuerint, passim etiam memoratæ, licet non ex professo, sed obiter tantum, atque sine expositione characterum, singulis speciebus priorum. Cl. PETRVS GERIKE ** jam adnotavit, quod LAZ. RIVERIUS in Prax. Med. Libr. XVII. Sect. III. *de febribus pestilentibus* cap. I. p. 536. *** *exanthemata interdum granis militis simillima esse, & nunc rubro nunc albo colore conspicua* scribat, aliaque

* Vti in diss. de purpura alba majori resp. CAR. LEOP. LINSENMANN. 1723. solidissime conjectat Exc. olim noster A. CAMERARIUS.

** In diss. de morbo miliari alias purpura dicto resp. IO. ALB. SAFFT. Helmstad. 1733.

*** LAZ. RIVERII Opera Medica vniuersa Francof. 1669.

que addat, quæ exanthematibus nostris apprime applicari queant, alio quodam loco, Obs. Cent. I. obs. 21. p. 560. a. *purpuram pelucidam* designet, *in parte anteriori circa hypochondria & pectus, qua febris purpurata siue petechiali die decimo septimo superuenerit.* Morbus vero, in quo hæc posterior observatio contigit, erat cIdIdcxxx medio Junii. Nostra vero epocha (§. II.) XXII. annis ferior est.

§. V.

Sed forte tum præ aliis efflorescentiis pustularum miliarium frequens eruptio contigit, & ab illo tempore in commentarios medicos referri cœpit, & morbus ipse publici juris pro dolor! factus est, ut dicunt, per Welschium. Postea in reliqua Misnia, Thuringia, & Saxonia tam superiori quam inferiori, Silesia, Frisia, paullatim observatus est sedes sibi figere.

§. VI.

In Wirtembergia nostra & Tubingæ inprimis vetus fama fert, morbum primo in nobili quodam Saxone anno circiter hujus seculi XVIII. primum fuisse observatum. Porro ex relatione Medicorum Francofurtensium, quam Ill. HOFFMANNVS Medicinæ suæ rationali Systematicæ Tom. IV. P. I. Cap. IX. p. 222. obs. VII. inseruit, & ex adjecto judicio cum consilio patet, circa annum circiter XX. hujus seculi puerperas Francofurtenses primum passas esse, annis autem insequentibus in hunc usque diem ubique apud nos sævit, epidemice nonnunquam, alio tempore sporadice, cujusque ætatis & sexus homines inuadens.

§. VII.

Ad febres exanthematicas ex eo tempore relata est febris miliaris, & quidem ad illas, quæ pustulares vel papillares audiunt. Ita enim jam obtinet, ut si exanthemata cutim extuberent, pustulæ vel papulæ, si vero cutim non excedant, sed tantum exasperent, maculæ distinctionis causa dicantur. Purpuræ autem nomen hæc febris apud plerosque retinuit.

§. VIII.

Multi Auctores asserunt, hunc morbum nonnunquam absolvi sine febre. Hi nec inter febres collocari voluerunt, aut saltem asseruerunt, purpuram non præcise requirere febrem, quum purpura rubra
stadium

stadium suum sæpissime sine vlla febre decurrat. Hos & nos secuti purpuram rubram a nostra consideratione excludimus, eam tantum intelligentes, quæ maligna est & pustulis se exferit, feminis milii magnitudinem vel & paullo maiorem præ se ferentibus, primum sero limpidio, deinceps subalbo, perlarum colore non absimili, plenis. Ex eadem etiam ratione excludimus chronicam illam scorbuticam purpuram, quod nomen forte ex hypothesium amore medici introduxerunt.

§. IX.

Hic morbus etiam extra Germaniam in varias regiones penetravit, in Angliam præcipue, Sueciam & Russiam, aliasque. In Anglia illum descripsit eques, DAVID HAMILTON, & febrem miliarem vocavit, cuius nominis ratio per se patet, rubram autem, quæ a Rash in Anglia dicitur, prorsus a denominatione febris miliaris exclusit, sed & febrem miliarem putavit potiori jure febrem vesicularem nuncupandam esse, quia vesiculæ aptius conveniant exanthematis sine pure. * Supra laudatus GERIKE l. c. morbum miliarem potius nominari vult, quia & rubram & albam purpuram comprehendit, quarum prior sine febre esse potest. Nos nomen HAMILTONII retinemus, quia hanc speciem morbi sine febre nusquam contigisse recordamur.

§. X.

HAMILTONIO febris miliaris est vel simplex vel composita. Simplex est, si præter miliares nullæ aliæ pustulæ sunt; Composita vel complexa, si pustulæ papillares rubræ miliaribus sunt interspersæ. Ad hanc etiam referre videtur pustulas miliares, variolis nonnunquam immixtas, quibus extumescuntibus miliares pustulæ paullatim exarescunt, vel & purpuratas veterum, quas vel antecedunt, vel comitantur, vel & sequuntur pustulæ miliares.

§. XI.

Cl. GERIKIO purpura est vel rubra, vel alba, vel pellucida; Singulæ exanthematis efflorescunt milii magnitudine, sed in rubra rubro colore conspicuis, ita vt cutis cutem anserinam deplumatam & purpureo colore infectam referat. Alba ab initio quoque exanthemata rubra in cute offert, in quorum vero medio postea vesiculæ aquosæ adparent. Pellucida sine omni rubore conspicitur, & vesiculæ ejus
sunt

* Tractatu de febre miliari A. cloccxi. Cap. I.

sunt admodum exiguae & pellucidae, cujus observationem supra (§. IV.) ex RIVERO recensuimus, a Cl. STORCHIO etiam in *eteodromis practicis* descriptam & ab Ill. WERLHOFF propriis observationibus* confirmatam legimus. Quin & GERIKE** ex PELARGI obs. Clinicis 1722. certum signum erupturorum pellucidorum exanthematum facit colorem ex caeruleo album, circa os adparentem.

§. XII.

Ex mea observatione liceat contra tantorum virorum auctoritatem, quam maximi facio, amore veritatis aliquantulum dissentire; Operæ enim pretium non duco, ab alba distinguere pellucidam, ratione enim decursus morbi differentia est exigua, etiam ratione subjectorum & ætatis vix vlla, etiam postquam vesiculæ aquosæ albæ eleuatæ sunt, ruber color prorsus evanescit, qui & interdum ab initio non magnus est, vesiculis aqueus color nonnunquam remanet, interdum cum colore perlarum commutatur, idque in vno eodemque corpore diuersimode, & in alba non solum, quam etiam in pellucida purpura. Etiam annuncians pellucidæ signum non constans est. Quare etiam nos sub vna eademque albæ specie vtramque nominabimus, ne nimia accuratatione nostra obscuri fiamus.

§. XIII.

Alia purpura morbum proprium constituit. Hanc *idiopathicam* GERIKE vocat, alia alius morbi symptoma fit, quæ est *symptomatica*, alia tandem alium morbum non tam sequitur quam comitatur. Hæc *conjuncta* dicitur & *complexam* seu *compositam* HAMILTONII constituit.

§. XIV.

Nos de febre miliari potissimum agimus (præf. & §. VIII.) & omnes morbos, vbi febris nulla est, excludimus, etiam si cum exanthematis §. VIII. expositis aliquis febre laboraret non maligna, non pateremur illum febre miliari correptum vocari. Ipsi enim malignitati insunt characteres, sine quibus hoc malum consistere non solet.

Et

* Obs. de febribus, Hannoueræ 1745. S. VI. §. 6. not. 9. p. 292.

** l. c. p. 7. §. 6.

Et sæpe fieri posset, vt aliquem papulis ex solo calore lecti vel ex sudorifero quodam assumpto obsessum pro homine, febre miliari tentato, haberemus, & irrifui plebis nos exponeremus. Nostra tamen consideratione nec indignos judicabimus, quos febre miliari tentatos alii morbi comitantur, vel superueniunt, quales casus permultos recenset D. HAMILTON, eo magis exacte perpendendos, quo difficiliiores interdum morborum sunt combinationes, & iudicia tum ipsorum morborum, tum indicantium & contraindicantium.

§. XV.

Hæc febris etiam purpura puerperarum dicta fuit a multis, præcipue tamen a MICHAËLE ET TMÜLLERO, cujus tempore quam maxime inualuit, & solas fere puerperas adorta est, vnde denominationis ratio capitur. Habet etiam hic auctor purpuram infantum recens natorum, quam nostrates ad symptomata auriginis infantum referunt, nos vero sicco præterimus pede, vtpote nulla febre maligna stipatam.

§. XVI.

Ea species, de qua nobis fermo est, vernacula quoque dicitur *der Friesel*, & licet nostrates sæpe distinguere soleant inter *rothen* & *weissen Friesel*, (purpuram rubram & albam) sponte sua id raro facere animaduertas. Si enim sibi relinquantur, nec vltra modum sapere velint, purpuram rubram *Kindbetter Auschlag*, (puerperarum exanthemata) albam *Friesel* vocant. Vocem *Friesel* duplici modo derivant nostrates. Pannus quidam Frisicus veteri germanica denominatione Fries dicitur, quam dicunt asperitate cutem purpuræ rubræ referre. Alii a voce friesen, frigere, algere, gelare, originem vocis repetunt, quod cum frigore sæpe aliquoties repetito accedat, etiam frigus statum & declinationem aliquando comitetur. Posterioris huius deriuationis testimonium ex WACHTERI glossario teutonico allegare possumus, priorem alicubi legimus, sed loci non meminimus. Nostrum non est, lites componere, quas non magni censemus. Quia vero rubram purpuram a denominatione vocis excludimus, mallemus priori relicta alteri adsentiri.



CAPUT II.

DE

SUBIECTIS, AD FEBREM MILIAREM PRONIS,
ET DE CAUSSIS HUIUS FEBRIS
PROCATARCTICIS.

§. XVII.

Constitutio corporis imbecillis, siue ea naturalis sit, siue ex euacuationibus nimis procedat, victuue nimis parco acciderit, sanguis fero multo scatens, mens imbecillior & timidiuscula, ac facilius læsa ab externis, vt in feminis & effeminatis viris; cogitatio multa & intensa, aut mœstitia eaque diuturna; obstructio vel ulcus in aliqua parte, cum dolore conjunctum prædisponunt. Vnde dolore colico, aut calculo, aut renum vlcere podagraue diu affecti, huic feбри magis obnoxii sunt. Calor etiam internus in mulieribus, cum vel sine siti, & præcipue sub tempus puerperii; unde & partus dolores minus solito vehementes sunt, & spiritus sine evidenti caussa admodum deprimuntur, cum oppressione pectoris, suspiria cogente. Quibus, ut in aliis febribus, hic etiam fere semper accedit frigus externum. Hæc HAMILTONUS, quæ etiam nostris obseruationibus ex asse respondent. Otiosi homines, siue musculorum actionibus minus exercitati, cuticulam curantes, corpus nimia solitudine ab omni paullo asperioris & frigidioris auræ aditu defendentes, teneri, delicatuli, vitæ sedentariæ dediti, iuuenes præ adultis, feminæ præ viris, inprimis passionibus hysterice obnoxie, crebrius etiam puerperæ quam aliæ feminæ hoc malo tentantur, quia placentæ separatio sæpe nimium festinata atque tam inhumana contingit, quæ euacuationi sanguineæ excessiuæ non solum viam pandit, sed & partium sensibilium lacerationem aut irritationem secum trahit, vnde gangræna & sphacelus uteri non raro sequuntur & febris miliaris illum comitatur. *Vix vidi*, inquit Ill. WERLHOFF * *in puerperis purpuram illam*, (de alba loquitur) *nisi ubi difficilius extractam secundinam percepi*. Etiam eodem WERLHOFFIO notante, inflammationibus & læsionibus partium neruosarum sæpe superuenit & pessime significat.

§. XVIII.

* l. c. S. VI. §. 6. not. 9. p. 294.

§. XVIII.

Scripta varia auctorum de hoc morbo euoluenti facile patebit, etiam hic valde diuersa continere, & quosdam etiam plethoricis & phlegmaticis hominibus, iracundis etiam & nescio quibus vel corporis qualitatibus, vel animi passionibus obnoxius dispositionem ad hunc morbum largissima manu adscribere. Nulla qualitas vel corporis vel animi ab his excipitur. Faciunt cum morbis, quod agyrtæ cum medicamentis. Quodcunque medicamentum, quando quacunque vel leui etiam de causa gratiam cuiusdam agyrtæ inivit, non longo post tempore panaceæ superbo titulo insignitur, & omnibus morbis profligandis proficuum est. Hi polypragmones Medici, quando naturam alicujus morbi paullo ultra vulgus se indagasse reputant, illum mox pandemium faciunt, nulli non homini cujuscunque temperiei aut ætatis parcentes, quasi ex arbitrio suo homines inficientes. Id vero non leuem in historiis morborum parit errorem: Quia exinde etiam ad naturam morbi explorandam falsæ deriuantur conclusiones. Forte in hoc morbo, sæpe ipsorum medentium culpa, cum aliis confuso, sæpe erroneæ ejusmodi theses cuduntur. Forte etiam a particulari quodam euentu, intra multorum annorum spatium simul contingente, desumuntur. Sed optandum esset, quod spectat ad prius, ut etiam Medici bene discerent distinguere, quod ad posterius, ut a casibus particularibus conclusiones facere generales abhorrerent. Constitutionibus corporis imbecillibus vel naturalibus vel etiam quocunque modo adscitis Cl. GERIKE etiam accenset meditationes, curas, vigilias, amores, sanguinis detractiones vel morbos, quibus omnibus nullum dubium est, quin omne corpus debilitari possit. Hinc etiam putat, infantes, juvenes & senes præ reliquis hoc morbo affici. Quæ rata & certa habemus, præter id, quod aliquantisper hæreamus circa ætatem. Supra jam monuimus, (§. XV) Practicum magnæ famæ ETTMÜLLERVM *purpura infantilis* mentionem injicere. Quum vero hæc raro valde sit maligna, nec magnam illius rationem habuimus. Nuper autem demum a dilectissimo fratre, hujus loci physico, vniuersitatis hujus professore extraordinario, percipimus, puerperam, quæ febre miliari grauiter decubuit, atque etiam inde extincta est, infantem peperisse, simili prorsus febre eaque maligna detentum, orci fauces eludentem. De pellucida quidem



purpura, quam supra jam fere explosimus, (§. XII) GERIKE in specie dicit, infantes potissimum inuadere, maxime post achores repressos. Senum corpora hoc affectu multum & sæpe tentata non vidimus. Non videntur remissiones illæ virium successivæ, quales ab ætate proficiscuntur, huic morbo generando sufficientes. Haud tamen negaverim, vnum & alterum me etiam senem observasse, hoc morbo affectum. Longus forte animi mœror, aut confectum morbis corpus, id effecerint. Sic etiam vidi puerperas, quæ sine omni dolore secundinas excreuerunt, febre miliari alba postliminio tentatas fuisse, alias, quibus multa cum difficultate & immanibus doloribus quasi euulsæ fuerunt, puerperium sustinuisse facile, saltim sine vlla miliaris febris præsentia. Scilicet quod frequenter, non semper contingit.

§. XIX.

Vidimus, quæ subiecta omnium facillime suscipiant febrem miliarem albam. Sed quæ maxime circumstantiæ externæ faueant susceptioni, de hoc jam dispiciamus. Procatacéticas causas medici vocant, quarum non paucae ab auctoribus allegantur: Iracundia frequens, otium, vigiliæ multæ, aër insalubris, vappidus, grauib. exhalationibus inquinatus, sanguinis detractiones nimiae, aut si is abundet, omissæ, transpiratio temere cohibita, sudores præcipue coerciti; alius sæpe adstricta; regimen vitæ calidum; medicamenta calidioris indolis; contagia; ex alimentis inprimis cibus lautus, levis, nonnunquam crassus, farinacea, fermentescibilia, potus parcus, calidus, nimis frequenter vsurpatus, aqua vappida impura, * quibus adde in genere alimenta & potulenta, quæ flatus in corpore nimios gignunt, & motui intestinorum peristaltico naturali obicem aliquem ponunt.

§. XX.

Sæpe in colloquiis multa susurrari audias de potu coffeæ & theæ, immo etiam in libris propositam videas vel quæstionis vel verisimilitudinis loco thesin, annon vterque, omnium autem maxime prior potus inter causas procatacéticas hujus morbi recenseri mereatur. Ipse etiam post fata egregius Medicus, Ill. HOFFMANNVS in hanc opi-

* GERIKE Diss. allegata §. XI. p. 11.

opinionem non tantum pronus, sed tractus esse videtur. Sic legimus *Medicina rationalis systematica* Tom. IV. P. I. Sect. I. Cap. IX. §. 12. & ejusd. Tom. IV. P. V. Cap. III. §§. 29 34. ut & in *Diss. de purpuræ genuina origine, indole & curatione* resp. STEPH. MACCKIO 1725. non tantum conjecturam hanc propositam, sed & tamen explicationis, quæ fundamentis quidem suis non destituitur, multa tamen supponit, quæ possibilitatem illius explicationis testatam tantum faciunt. Supponit Ill. HOFFMANNVS, ex eo tempore, quo nos abutimur potu Coffée, nostram naturam magis adsueta esse illi excremento secernendo, quod per transpirationem insensibilem e corpore eliminatur, paullatim vero reliquisse viam illam regiam, per quam maxime crudæ impuritates a cibis relictæ secerni solebant, scilicet aluinam secretionem ex illo tempore turbatam esse. Hinc ex cibis & potibus diutius in intestinorum tractu retentis multo plures impuras & naturæ nostræ aduersas particulas humores nostros subire, quæ propter calorem, quem potui conciliamus, ad peripheriam corporis tendant, ibi vero retineantur, quia nimis sint crudæ, nimiumque rudes, quam ut ad ostia vasorum perspirantium penetrare & exhalare possint, illas itaque hære in angustiis vasorum, corrumpi & in venenum maturari, sub specie vesicularum ejusmodi miliarium erumpens. Terrestribus Coffeæ partibus & oleosis etiam adscribit, quod vasa vltima noxiæ hæ particulæ subire nequeant continuo ad cutem propulsæ, ideoque eo spissius & celerius cumulatae. Auctoritas vero Ill. viri tantum effecit, ut hæc opinio, ex quo vulgata est, apud Medicos inprimis affeclas quotidie novos inueniret, inter quos honoris causa nominamus Cl. ANT. PLAZIVM, * qui existimat, in experientia fundatum esse, debilitationem generis nervosi, orgasmum sanguinis, coloris nativi faciei deturbationem & sterilitatem abusu potus Coffeæ presso pede sequi, ex quibus aptitudo corpori inducta ad suscipiendum venenum miliare consequentiis non longe petitis fluat.

§. XXI.

Fuerunt tamen, quibus non satis caussarum videbatur, in usum hujus potus tantorum malorum noxas rejicere; Hisce potiori jure accen-

* In *diss. de potus Coffée abusu* resp. IO. GOTTLIEB GLEDITSCH 1733: Lipsiæ.



accensemus Cl. NEVMANNVM * & Cel. SCHAARSCHMIDT. **
 Cum enim infusum Coffeæ vix aliud ingredi debeat, quam gummofæ
 quædam & olei empyreumatici subtilioris pauciffimæ partes, vix ve-
 rifimile eft, hæc partes tanta infuso huic inferre poffe damna; Si
 igitur aliquod inde damnum nafcatur, id potius injuftæ præparationi
 infusi aut aliis abufibus, nimix quantitati coffeæ ad infusum adhibitæ,
 aut tempori vel ad clarificandum infusum, vel ad subsidendum necessa-
 rio neglecto, aut immixtioni pulueris coffeæ adfcribendum effe cen-
 ſent, vt itaque noxa illata non tam ab infuso coffeæ directe pendeat,
 quam potius a peruerfa infusi parandi methodo. Sunt præterea multa alia,
 quod ſpectat ad relationem illam inter infusum Coffeæ & febrem mi-
 liarem, perquam ſuſpecta. Fide inconcuſſa nititur, febrem illam
 puerperalem, quæ primum rumorem de febre miliari Germaniæ intu-
 lit, eo tempore fuiſſe natam, quo nullus adhuc Coffeæ uſus in Ger-
 mania vigit. Ex monumentis enim hiftoricis conſtat, quæ ſupra
 allegatus NEVMANNVS certiffima fide niti aſſeuerat, fructum Co-
 fé anno demum cIoIoCL primum nauibus appuliſſe in Europa ad lito-
 ra Maſſiliæ, hinc in Angliam, inde in Hollandiam lente tranſiſſe. Cum
 vero duobus annis poſt aduentum fructuum Coſé in Miſnia febris
 miliaris Lipſiæ fuerit obſeruata, quis non videt, nimis breue effe
 tempus, quod propagationi fructus Lipſiam uſque, nimis etiam bre-
 ue effectibus potus in Lipſia producendis conceditur. Illi ſaltim febrī
 miliari, quam RIVERIVS deſcribit, (§. IV) quæ aduentum fructus Coffée
 in Europa viginti annis anteuertit, producendæ non pares erant Maſ-
 ſilienſes fructus. Vidit HOFFMANNVS, durum effe telum, quo vel
 interiora petantur. Eluſit ſubterfugio, quod mihi quidem leuiſſi-
 mum videtur, etſi alias huic viro artes effent vere magnæ, quibus
 veritatem propugnare poſſet. Reſpondebat: Certum effe, prima
 initia non effe adſcribenda famoſo huic potui, cum vero ſuſtentando
 malo poſtliminio inferuire potuiſſe. Non immerito etiam GERIKE ***
 dubitationum momenta contra hanc hypotheſin affert, *inquiens: Ra-*
tio-

* Lect. publicæ vom Thee, Coffée, Bier und Wein, Leipzig 1735.

** Mediciniſcher, Chirurgiſcher und Berliniſcher wöchentliches Nachrichten
 dritter Jahrgang n. 26 - - 29. 1741.

*** l. c. §. 12. p. 12.

tionem certe, cur illa res (de fabis coffée & herba thé loquitur) producendis exanthematibus miliaribus idonea sint, nondum aliam allegari vidi, quam quæ multis præterea aliis vegetabilibus, e longinquis terris ad nos allatis, applicari se patiatur; quæ tamen nemo accusat. Ad objectiones, quæ postea ibidem sequuntur, solide & erudite a Cel. HOFFMANNO responsum fuisse nullus dubito.

§. XXII.

*Tutissimum itaque erit, si aliquam viam sequi velimus, ut potum coffée reliquis illis causis procatarcticis, quæ §. XIX recensitæ sunt, adnumeremus, siquidem experientia docet, illos, qui in aliqua rerum istarum delinquant, vel in aëre ejusmodi vivere coguntur, omnium maxime hoc morbo tentari. Non video tamen, inquit Cl. GERIKE, qui has veras causas esse, persuadere nobis serio cupiunt, & simul febrem miliarem inter novas referunt, quomodo occurrere ei dubio velint, quare ea non olim frequens fuerit. Si enim aëris qualitates & contagia excipias, in reliquis rebus non minus antiquitus, quam hoc & præcedente sæculo homines peccaverunt.**

CAPVT III.

SYMPTOMATA FEBRIS MILIARIS CONCOMITANTIA ET CONSEQUENTIA.

§. XXIII.

Initium hujus febris plerumque comitatur dolor, colicus, nephriticus, pleuriticus, rheumaticus, vel parturientis æmulus, non cessurus iis remediis, quibus vulgo cedit, nec non oppressio pectoris cum depressione spirituum, pusillanimitate, anxietate, morositate, & languore totius corporis. Dolo prædicto post biduum triduumve recedente, totius corporis horror, deinde frigus calorque alternis vicibus, non tamen regularibus se excipiunt. Æstus compunctorii in dorso sensus subinde percipitur. Lenior est calor, quam in febre vulgari continua, & naturali propius accedit: Dum vola manus calore magis intenso afficitur, pars convexa mitiori. Pulsus frequens est,

* l. c. §. 12.



est, sed debilis. Vires sæpe maxime deficiunt, ut vix vllas superesse conquerantur ægroti, quin & deliquia sæpe instare putant, & reuera illis subinde tentantur. Plerumque ex magno quasi pondere pectus oppressum suspiria edere cogitur. Somnus forte obrepens subito interrumpitur. Sæpe aliquot dies noctesque sine delirio, atque sine vlllo capitis dolore insomnes sunt. Sed & nonnunquam gravis est capitis dolor. Lingua nunc aphta alba obducitur, nunc sanorum similis est. Urina nonnunquam fere est, ut aqua communis, pallida; alias naturalem præ se fert colorem. Sudor sæpe nullus, sed interdum fere colliquatiuus, ut sine intermissione cutem detergere opus habeant ægroti. Aliquando, præcipue post somnum, ventriculi ægritudo, & nonnunquam diarrhœa ingruit, quod sæpe fit ex negligentia, vel ex mala praxi, vel mala morbi natura. Aluus nunc adstricta, nunc soluta. Solutionem autem aut ventriculi ægritudo aut intestinorum dolores comitari solent. Modo multum, modo parum sitiunt, & tam parum, ut etiam admoniti sæpe recusent potum. Aliquando manus & lingua medico porrectæ tremunt, & ægri quasi cum tremore loquuntur. Motibus etiam convulsivis, delirio ac difficili respiratione haud raro premuntur. Quorum symptomatum exacerbationes, paroxysmorum instar febris intermittens recurrunt. Pectoris cum suspiriis oppressio vel sine causa evidente spirituum maior defectus, vigiliæ, rerum ludicrarum & terribilium formarum phantasmata, quoties ægri ad somnum se componunt, pustulas miliares erupturas semper prænunciant; saltem hæc symptomata persistunt, donec pustulæ miliares emineant. Raro erumpunt, nisi pruritus insignis antecedit & plerumque cutis primo colore magis vel minus rubro tingitur & super ea erumpunt papulæ albicantes, magis vel minus pellucidæ milii magnitudine, raro majores.

§. XXIV.

Hæc est prima morbi periodus, ex HAMILTONO maximam partem mutuata, in cuius tempore definiendo inter auctores non convenit. HAMILTONVS opinatur, decimo vel undecimo die a principio plerumque pullulare pustulas, nostri vero, HOFFMANNVS, & alii, quarto vel quinto ab inuasionem die hoc fieri judicant. Sed difficillimum certe est, hoc tempus observare: Quoniam prima morbi facies & patientis de eodem narratio perquam sunt diuersæ,

diuersæ & incertæ. Cum nostris igitur tutius hoc tempus definie-
mus, si primum morbi initium statuamus a secundo illo frigore, quod
diximus post aliquot dierum intervallum recurrere & alternantia fri-
goris & caloris tempora secum ferre. Ita etiam vtrumque genus
auctorum concordabit.

§. XXV.

Solent autem pustulæ primum collum, deinde pectus & dorsum,
postea brachia & manus occupare, quin imo ad pedes vsque descen-
dunt. Sunt interdum adeo dense & agminatim positæ, vt vix locus
inter illas vacuus sit, interdum autem rariores, vt dispersæ dici pos-
sint. Vtprimum in conspectu sunt, grauiora antea pathemata miti-
gari solent, animo tranquillitas major accedit, pulsus, qui paullo ante
tremebat, vel saltim magis tensus esse videbatur, mollior euadit &
remissior, arida cutis madescit, sæpe in illis, qui sudoribus antea
difflebant, parcior obseruatur sudor, sæpe etiam nulla omnino dif-
ferentia, quod spectat ad hoc punctum, obseruatur. Nullum exan-
thema tam instabile est, tam crebro ac celeriter retrocedit, iterum-
que comparet, nullum etiam tam crebro intercurrente mox pruritu &
punctura stipatum est. Nullum porro exanthema tam facile amat
diuersis cohortibus aut manipulis prodire, vti hoc. Hinc nec ab
initio, cum per diem aut per duos dies sese manifestarunt, de certa
earum quantitate certus esse poteris. Possunt post quatuor aut quin-
que dies nouæ cohortes appropinquare, id quod plerumque nouis
suspiriis, & oppressionibus pectoris, puncturisque & pruritibus præ-
nunciatur. Quibusdam tamen simul & semel prodeunt. His ple-
rumque ex illo tempore omnia symptomata mitiora euadunt, & pu-
stulæ in dies auctæ, tandem euanescent, cuticula pustularum sedibus
subscabra manente. Et hoc fit plerumque intra septem vel nouem aut
decem dies ab eruptione pustularum, qui vero terminus, si per co-
hortes erumpunt siue manipulos, varie prolongatur. Vel sub morbi
initium, vel certe sub tempus eruptionis papularum lochiorum fluxus
in puerperis retinetur, ac lac in mammis disparere solet, quod tamen
non est constans: Vidi enim, lochia licet retenta plerumque fuerint,
lac tamen in mammis per totum febris tempus adeo copiosum fuisse,
vt & sponte & copioso lacte manarent. Pustulæ autem paullatim ex-
plicatæ



plicatæ ichore tandem limpidò, vel argenteo, siue margaritarum æmulo, magis vel minus foetente, plenæ euadunt, vrina magis saturata prodit, & tandem etiam contentis referta est, sedimen plerumque deponit, & sudor singularis proprii foetoris erumpit, sanguinis per lochia fluxus vel redit aut per breue aut & longius interuallum, vel nunquam redit, attamen post septem vel plurium dierum decursum cum insigni extremorum pruritu pustulæ disparent, arescunt, squamularum instar decidunt, & æger paullatim cum sanitate redit in gratiam, vbi tamen & inter arescendum symptomata adhuc ingruunt, quæ metum incutere valent, quale est illud, quod patientes, bene licet operti, sæpe sensum habeant quasi adflatæ ad se frigidioris auræ, cum tamen nec suspicioni sit locus, per quem illa ad lectum ægri penetrare potuisset. Sæpe etiam in declinatione febris sudore frigido madent manuum superiora, quod iis inprimis contingit, qui per plurimum morbi decursum sudoribus fere colliquatiuis tentati fuerunt; Quin immo aliquando obseruauimus, hoc morbi symptoma vel hebdomadas aliquot integras post plenam iam, vti videtur, conualescentiam perdurare. Signa febris miliaris pathognomonica sunt præcipue hæc: Pulsus durante toto morbi decursu humilis, celer, oppressio pectoris cum suspiriis, vixium prostratio insignis, & pustulæ miliares albicantes, nullum pus continentes, sed serum tenue, a naturali aliquo modo desciscens.

§. XXVI.

Suspecta in febre miliari signa sunt: Quando exanthematibus sufficienter expulsis pulsus præter naturam tensus & auctus est, vel talis euadit, aut si præter modum imbecillis, humilis & celerior, aut intermittens, aut per aliquod tempus remittens, somnus nullus, inquietudo magna, respiratio difficilis; Quando statim sub initium & per totum morbi decursum sudores effusius manant, vrinæ mox post statum morbi pallidæ copiose redduntur, vel continuus ad mingendum stimulus est, vrina crassa antea & tincta, subito limpidà, tenuis & pallida prodit, nec non, quando aluus cum torminibus fluxa nimis, inprimis in puerperis. Malum præsagium hauritur ex pustulis modo comparentibus, modo euanescentibus, nec ferocia tamen symptomatum vel tantillum remittente, sed potius ingrauescente. Pejoris adhuc ominis est, si materia pustularum intro acta ita firmiter inhærescit, omni-

omnique expulsiōni contrahitur, unde pectoris cum suspiriis oppressio intenditur, fauces stringuntur, virium prostratio increfcit, & præcordiorum anxietas cum inquietudine augetur. Funesta tandem indicia sunt, quum subito euanescentibus pustulis interiora ardent, & extrema frigent ac rigent, simulque copioso frigido sudore perfunduntur; aut vicissim, quando extrema æstuant, & in abdomine frigoris sensus percipitur notabilis. Si porro tendines subsultant, facies comparet Hippocratica, virium defectus per momenta crescit, articularum pulsus durus, inæqualis & tremulus euadit. Hæc enim ubi præsto sunt, æger ut plurimum lipothymia occumbit lethali, ob inflammationem, quæ ventriculum, intestina, cerebrum, vel in puerperis ipsum vterum affecit. *

§. XXVII.

Si ab initio hujus febris pars aliqua dolet, vel ager sine dolore calet, aut ventriculus agrotat, deinde calor & frigus alternis vicibus, interuallis tamen inæqualibus, recurrunt, viriumque defectus & pectoris oppressio cum suspiriis facili respirationi conjuncta sunt, tandemque pustula cum leni & perpetua diaphoresi prodeunt, res plerumque agri in vado est.

§. XXVIII.

Delirium, motus conuulsiui, conuulsio vel apoplexia, si e signis hujus febris pathognomonicis, nempe summa pectoris oppressione, cum suspiriis viriumque defectu symptomata comitantia esse cognoscuntur, & in principio accidunt, facilius Medici diligentia præxiq̃ue regulari obsecundant. In progressu vero & declinatione, ubi vires agri multum sunt fractæ, & pustula miliares quacunque de causa retrocesserint, in cerebrum neruosque lethalis fit metastasis & breui mors sequitur.

§. XXIX.

Suppressio diarrhææ subitanea, siue sponte, siue ab adstringentibus, siue ab opiatīs, metum apoplexiæ injicit. In puerperis autem

* FRID. HOFFMANN. Med. rat. syst. Tom. IV. Part. I. Sect. I. Cap. IX. §. 14. & Part. V. Cap. III. §. 8. quod ad plurima spectat.



tem hac febre correptis, diarrhœa inter symptomata periculosa collocatur, quia & pustularum eruptionem & fluxum loebiorum impedire solet. Vidi tamen nonnunquam fluxum loebiorum quasi suppluisse, & symptomata inde mitiora esse facta.*

§. XXX.

*Ægri quo magis somnolenti sunt, eo felicius conualescunt, etiam ii, qui mitioris sunt indolis, facilius, quam qui feroces & iracundi liberantur. ***

§. XXXI.

Consequentia hujus febris sunt vel sanitas restituta, vel tristis mors, quæ sæpe aliquibus signis prægressis (§. XXVI) sui manifestationem exhibet, aliquando tamen ita inopinato jugulat, ut ægrum jam in optimo statu deprehendas, signis spem salutis egregiam promittentibus, attamen vix hora præterlapsa, vel convulsionibus, vel deliriis, vel furore, vel apoplexia comprehensum, & brevi interjecto temporis spatio, mortuum audias vel videas. Sæpe etiam nec jugulat, nec pristinae sanitati restituit ægrum, sed relinquit tumorem femorum, tibiæ, pedumque, non semper indolentem; in puerperis extumescuntiam & abscessum mammarum; depravatam memoriam; fluxum loebiorum & urinæ nimium; affectus hypochondriaci aut hysterici æmulos; calorem internum cum debilitate, languore & diminuto appetitu conjunctos, *** siue leuioris hæcticæ speciem; Interdum etiam recurrentes sudores præcipue in manibus, uti sub finem §. XXIV. jam monui, & pruritus puncturasque recurrentes, nonnunquam etiam cum exanthematibus, quæ tamen non sunt maligni moris, ad leuissimum frigus corpus admodum sensibile, & quæ sunt plura mitiora symptomata.

§. XXXII.

Ad febres miliares complexas siue compositas, ut progrediamur, ordinis ratio jubet. Jam supra illam complexam diximus, cum pustulæ

* HAMILTON l. c. Cap. V. de signis prognosticis.

** HAMILTON l. c.

*** HAMILTON in fine Cap. II. p. 52.



stulæ papillares rubræ miliaribus interspersæ sunt, vbi notandum est, quod & penitus desiccatis pustulis rubris albæ supersint; etiam quando pustulæ variolis immiscentur, quæ plerumque præcedunt, aut eas in principio comitantur, aut & in statu demum accedunt; * quando petechiis aut morbillis, synochis putridis & ardentibus & petechizantibus aliisque epidemicis in declinatione pustulæ accedunt, aut & mox sub initium efflorescunt. Etiam pleuritidis miliaribus pustulis critice solutæ illustre exemplum habet B. noster A. CAMERARIUS, ** asciticæ virginis, cui superuenit purpura maligna, Cl. POLYC. GOTTL. SCHACHER. ***

§. XXXIII.

Symptomata sanguinis potius, quam nervosi generis vitia præferunt, & satis similia sunt symptomatibus febris, synochi dictæ, pulsu frequenti & forti, calore intenso, lingua sicca, sitique haud mediocri. Virium tamen defectu & suspiriis magis opprimuntur, vnde complexa febris naturam suam prodit, scilicet characterem vtriusque pandit. In vigilias proniores sunt, & eorum vrina sanorum est similior.

CAPUT IV.

DE

FEBRIS MILIARIS TVM SIMPLICIS, TVM COMPOSITÆ CAUSSIS INTERNIS.

§. XXXIV.

Cauſſas morborum indagare, & prorsus eruere nusquam difficilius est, quam in morbis complicatis & intricatis. Et forte satius est, im-

* Memorabile est exemplum, quod habet Exc. olim noster E. CAMERARIUS E. N. C. Vol. II. Obs. 147. p. 338. purpuræ albæ malignæ præcedentis, qua vix superata acceſſerunt, prægreſſa cephalagia, variolæ; hincque in ſtatu adſociata iterum eſt purpura alba, interſtitia variolarum fere penitus occupans, puello decenni, cui hæc contigerunt, in ſanitatem redeunte.

** In Diſſ. Acad. de pleuritide maligna miliaribus critice ſoluta reſp. IO. GEORG. SEEGER. 1735. Tubingæ.

*** In Diſſ. de virgine aſcetica poſt paracentheſin purpura maligna exſtin-
cta R. IOA. GOTTHELFF MOEBIO Lipſ. 1725.



impendere tempus in experientias certas, iisque superstruere methodum curationis, quam fingendo tempus ludere. Quoniam tamen moris est, quædam de hoc differere, nec nos officio deerimus nostro.

§. XXXV.

Sectiones cadauerum hoc morbo defunctorum perpauca habemus. In genere auctores notant, febrem miliarem magis ex vitio viscerum & succorum, quam aëris oboriri, nec adeo contagiosam esse. Supra tamen asseruimus (§. IV) febres omnes malignas multa inter se communia habere, credibile igitur est, symptomata eadem eosdem etiam effectus edere, fore itaque, ut cadauera aliis morbis malignis oppressa, similes forte causas monstratura sint. Quod si euoluamus extispicia cadauerum febribus malignis demortuorum, a SPIGELIO facta, præcipue inuenta sunt intestina tenuia aut ventriculus sphacelata, aut maculis liuidis conspersa, quasi a veneno affecta fuissent. Tale extispicium etiam refert THOMAS BARTHOLINVS,* licet varias propter circumstantias suspectum. Sed quid ad rem? si vel omnia vera essent. Sciremus sphacelum fuisse genitum, sed quid illum genuisset, ignoraremus. Naturam vel notissimorum venenorum, quæ vel ad centenaria examini subicere possumus, adhuc plurimum ignoramus. Vnde colligemus hoc venenum, quod purpuram vel quod sphacelum effecit? qua ratione examinabimus?

§. XXXVI.

IOA. CONRAD. BRUNNERS** occasione febris malignæ miliaris, duas successiue illustres feminas inuadentis, neruosum fluidum omnium *adcommodatissimum* censet, ad explicanda, quæ illas febres comitantur, symptomata. Etenim, inquit, cum cutis non sit, nisi contextus fibrillarum neruearum, quo sensum tactus constituit natura, intertextis glandulis & vascu'is, tam sanguifluis, quam lymphæ ductibus, facile limpidissimus, qui vel omnem alium ex massa sanguinis aut arteriis fluentem superat limpiditate humor, a neruis deriuaretur, qui inquinatus perperam circa neruorum extremitates interceptus, tales hydatides limpidas, citra commixtionem sanguinis aut alius humoris excitaret

* Hist. anat. rar. Cent. III. Hist. LXVIII.

** Eph. N. C. Dec. III. Ann. VII. & VIII. obseru. CCVI. Schol. p. 344.

excitaret splendidissimas, diu incorruptus, explicatio ex voto flueret. Similiter succi neruorum nimium serosi ejusdemque, vt & sanguinis, acida natura & acrimonia imbuti, ex vrina non febriliter tincta, sed pallida, decolore, sanorumque similiore, concludit egregius HAMILTON.* Sed hoc durum videri posset, nerueum succum, qui adhuc omnem aciem oculorum subterfugit, jam in vesiculas colligere, aciditatem ei conciliare, & adeo diræ febris effectus illi adscribere velle. Hinc FRID. HOFFMANNVS lympham albam vocat, & succum nutritium, qui in febre miliari acore sit infectus, siue ad acido - vappidam putidam naturam accedat.** Pechlini similia a sublimatione florum ac salium, a spina cuti infixæ, & a superficie rerum putrescentium desumpta, vt & SYDENHAMI cogitata de materiæ febrilis depuratione & despumatione fere duplici adducere vix audeo, cum speculationibus potius hæc qualiacunque accenseri debeant. Certum & peculiare miasma subtilissimum, fermentatiuo - putredinosum, aut fermentum oleoso - vrinofum rem istam pariter non conficiunt, atque vt tempori parcam, consultius duco, hæc amplius non discutere, ne dissertationis limites transgrediar, & ea, quæ majoris momenti sunt, præterire cogar.

§. XXXVII.

Duo præcipue sunt explicanda: 1. quæ causa sit omnis illius commotionis internæ, quæ tam subdola est, & tam varia profert in hac febre symptomata, 2. quæ sit causa illorum exanthematum, sub determinata hac specie prodeuntium. Vtriusque causas distinctas me ignorare fateri cogor. Vbi enim veritas alicujus rei nondum certo euicta est, illius amor valere ante omnia, & ad inuestigationem exstimulare animum debet: ad quam sæpe plurimum pertinet, ostendisse, veritatem, quam tenere fortassis se, sibi nonnulli persuadent, in obscuro adhuc latere, vel vt perspicui ea possit, majoris lucis egere.***

Du-

* l. c. Cap. III.

** Medicin. ration. system. Tom. IV. P. I. Sect. I. Cap. IX. §. 8. vt & Disfert. allegata §§. 27. 28.

*** Verba sunt perspicacis GERIKE l. c. §. & p. 13. Equidem nos neque succum nerueum, neque acidam lymphæ aut succi nutritii naturam refellimus, speramus tamen, commentorum instar reliquorum, quæ sub finem §. sequuntur, speculationibus accenseri posse.

Dubium nullum est, esse materiam quandam in corpore, siue intus generatam, siue ab extra venientem, quæ naturæ nostræ valde est aduersa, & humoribus nostris permixta, eos ita commouet, vt magis peripheriam versus corporis nostri adigantur, quæ vero aliquid secum habet, quod per vasa cutanea transire nequit, sed illa obstruit. Poterit hoc fieri vel inspissatis fluidis, vel constrictis vasculis, vel per errorem loci crassioribus moleculis ingressis minorum vasculorum dilatata orificia, per quorum fines transire nequeunt. Potest ejusmodi materia, si simul assumatur acris, natura sua stimulare, dum in corporis humani interioribus degit, fibras & vasa; effici inde plus minusue fortes & celeres motus vasorum & cordis; reddi sanguinis & humorum reliquorum fortior & celerior circuitus, quem, si constans est, febrem appellamus. Quis vero spondeat, hæc ita se habere? Vascula enim cutanea etiam externis stimulis stringi possunt, vbi nulla intus est causa acris. Vnde, quandoque a causa externa, corporis tantum superficiiei applicata, exanthemata produci possunt. Ill. van SWIETEN* ex perspicacissimo REAUMURI O allegat, pilos minimos ex erucarum relictis exuviis, dum in chrysalides & papiliones mutantur, excussos cuti infigi, illosque rigidos instar spinarum minimarum cutem pungere & irritare, & interstitia inprimis digitorum pruritu molesto afficere, dein faciem, immo & oculi palpebras inflammari & tumere, perque integrum quatrimum manere palpebrarum molestum tumorem. Quando has exuias baculo agitabat, vidit, sole irradiante, millena volitare per aërem corpuscula, quæ videbantur nil esse, nisi minuti tales pili, ex vetustis erucarum exuviis excussi. Cum igitur hi pili per ventum deferri possint ad dissita loca, eorum ope etiam similia mala produci possunt. Major cutis teneritudo etiam efficere potest, vt a similibus facilius afficiantur quidam homines, alii minus. AVG. QVIRIN. RIVINVS omnia exanthemata cum pruritu a causa pariter deriuat externa, scilicet ab acaris, quorum peculiariora genera diuersis exanthematum generibus adsignat.** Vt taceam alia, quæ supra dictus Cel. van SWIETEN eodem loco docte obseruat

* Commentar. in HERM. BOERHAVE aphorismos Tom. II. 1745. p. 398.

** Vid. ejus Diss. de pruritu exanthematum ab acaris resp. IOH. IAC. SCHWEIBE 1722.

feruat, illud, quod pruritus & exanthemata facit, hærere aliquando in ventriculo, & circa præcordia solum, & paullo post cum pruritu summo totam fere cutem exanthematibus obsideri; dato vitriolo albo, vel simili alio emetico, quod ilico vomitum facit, dum deglutitum est, si excutiantur contenta ventriculo, evanescere breui vna cum anxietate has efflorescentias; nec credibile videri, venenatam illam acrimoniam, sanguini mixtam, ad cutem delatam fuisse, cum post vomitum ilico cessent omnia mala.

§. XXXVIII.

Summa verisimilitudine tamen gaudet, causam papularum miliarium in corpore latere, & prouenire ab ipsa febre, quæ materiam criticam ad peripheriam corporis pellere annitur, ibi autem expellere nequit, siue hoc vitio liquidorum transmittendorum, siue canalium transmittentium, siue vtrorumque fiat; In liquidis transmittendis vix culpam latere posse, cum tenuissima sint; Canales itaque forte esse obstructos, in quibus coërcetur hæc materia; hanc materiam virtute maxime noxia & deletoria esse præditam, quoniam, antequam subsistit in cute, vires summe dejicit, rediens autem ex cute in sanguinem aut viscera, tanta mala & ipsam mortem parit. Mihi autem non sumo, ejus naturam exactius definire, cum nec mechanicæ nec chemicæ qualitates sufficere mihi videantur, ad eam explicandam. Forte tardus ejus & successiuus ad cutem motus & ipsa liquiditas eximia faciunt, ut pustulæ regularis sint figuræ, & milii magnitudinem vix excedant. Et ut amplior sit ad disputandum materia, in lymphæ & succo nutritio pono amplissimam materiæ morbificæ sedem.

§. XXXIX.

Febris miliaris complicata vel est purpuræ rubræ, vel petechiis, vel variolis, vel morbillis, vel pleuritidi juncta. (§. XXXII) In omnibus hisce morbis, præter febrem miliarem, materia morbifica in sanguinis parte purpurea latet, tantum in variolis vascula cutanea obstructa in pus abeunt, in reliquis obstructio resolui solet; In febre miliari autem materia hæc lympham & succum nutritium sibi pro sede eligit. §. XXXVIII.



CAPVT V.

DE

CVRATIONE FEBRIS MILIARIS, SIMPLICIS
ET COMPOSITAE.

§. XL.

Quum naturam videamus optimo suo molimine materiam morbi-
ficam cutis versus peripheriam expellere, vt primum suspicio incidit fe-
bris miliaris, opus erit, hoc naturæ molimen omni arte promouere,
& ne canalium cutaneorum obstructio impedimento sit, omnem mo-
vere lapidem. Quum deinde materia morbifica in lymphæ & succo
nutritio quam maxime sedem sibi fixerit, hic lymphæ a sanguine se-
cessus omni ope iuuandus est. Quando pustulæ miliares expulsæ
sunt, & in summam cutem prodierunt, eo præcipue annitendum est,
ne retrocedant, quoniam ab hoc graue periculum imminet; Si vero
retrocefferint, aut periculum sit, ne retrocedant, quod ex sympto-
matibus ingrauescentibus, pulsu præcipue debili, tremulo, intermitten-
te, & oppressione pectoris & anxietate summa arguere licet, sine mora
omnia tententur, quæ expulsionem promoueant. Quum itaque durante
tota curatione diaphoresis maxime vigere debeat, quæ & nonnunquam
ad sudoris excretionem non difficulter transibit, etiam ipsa depositio ma-
teriæ morbificæ in cutem sit de prosapia lymphæ, non potest non fieri,
quin vires ægroti valde minuantur, & liquidarum partium in corpore
fiat egestas. Quare & præterea diluentibus & reficientibus continuo
opus erit, in primis post eruptionem pustularum. Postea pustulis sic-
cantibus, & paullatim sine vlllo graui symptomate euanescentibus epi-
dermis desquamatur, atque illo tempore leue purgans exhibitum
profuisse obseruatur. Si signa docuerunt, circa præcordia fordes hæ-
rere tum, cum initium morbi est, vomitorio, vel leui purgante dato
has expellere conducet, quia ab hisce sordibus ad præcordia exanthe-
mata quandoque fieri supra monuimus §. XXXVII.

§. XLI.

Si remedio specifico contra febrem miliarem instructi essemus,
scopo nostro facile potiremur. Omnis enim morborum medela, qui
humorum quodam vitio continentur, vel ad mutationem & corre-
ctionem

ctionem peccantis materiæ, vel expulsionem hujus e corpore pertinet. Illa specificum exigit, quod quidem magis in votis, quam in spe est, ideo, quia vitium illius materiæ peccantis specificum prorsus ignoramus. (§. XXXVIII) Hæc medela duplex incommodum secum fert: 1. Quod expulsio vehementiorem vim adeoque valentiora remedia postulat, iisque non semper, quo exire materia debet, sed ad alias interdum partes delata varia nova phænomena, & majora pericula excitat. 2. Quod sub hac vehementiori vi bonos e corpore succos simul secum non sine damno aufert. Interim methodum hanc sequi oportet, quoniam in altera, quæ spissis tenebris inuoluta est, periculum est, ne cæcutiamus.

§. XLII.

In febre miliari composita vel complexa indicationes non multum erunt alienæ. Duos tantum hostes in corpore grassari meminerimus, quorum vnus partem purpuream sanguinis, alter lymphaticam incolit. Vtrumque solícite speculemur, & quoad fieri potest, reprimamus. Si pulsus frequens sit, & fortis, diminuenda omnino est sanguinis copia; Quum etiam liquida eruptioni petechiarum, morbillorum, variolarum materiem præbentia, crassiora omnino sint, quam quæ ad pustulas miliares impenduntur, larga diluentis & attenuantis liquidi copia indicatur, vt materies morbi mobilis teneatur, & ex dilutis attenuatisque per hæc ingesta humoribus facile extricari possit; dum simul per eadem vasa laxantur, sicque facillime motos per ea humores transmittunt. Videmus autem hoc fieri posse sine suspitione nimium benigni affectus nostri in hostem lymphaticum, cui fere eadem opponere consultum est. (§. XL) Tertia indicatio erit, juvare eruptionem materiæ vtriusque peccantis, retrocedentem rursus expellere. Quæ vero de analepticiis remediis, & de emetico vel laxante ab initio, & laxante sub finem morbi dandis §. XL. monuimus, ea etiam hic valent. Adeoque tota curationis differentia consistit in hoc, vt sanguineæ partis etiam habeatur ratio.

§. XLIII.

Prima indicatio in febre miliari invadente siue sub initium morbi hæc est, vt natura in propulsione pustularum juuetur. *Egerunt id aguntque adhuc*, inquit Cl. GERIKE, * *tantum non omnes. Si qui in eo delinquant, quemadmodum a plerisque ab initio factum est.*



neque satis agrorum commoda promouent; error eorum omnis in hoc consistit, quod modum tenere nesciunt. Multi enim agris suis non rectius in iis morbis consulere se putant posse, quam si motus humorum ad cutem quacunque ratione, etiam ubi minime opus est, festinent & augeant, & hoc studio virus omne ex abditissimis corporis recessibus, e corde praesertim, expellere conantur. Hinc cardiaca, sudorifera, alexipharmaca, diaphoretica validiora assidue exhibent; & dum eo artificio interius omnia calefaciunt, vasaque ad vehementiorem motum stimulant; ne forte alicubi deficere videantur, exterius applicato calore hypocausti vel lecti agros tantum non eliquant. Pellunt vero ea ratione nocentes humores subinde ad organa vitalia, aliaque nobiliora, grauissimaque symptomata cum vita periculo cient, e corpore eos omnes non expellunt. Vel si eis nimia diligentia adhibita posterius hoc forte succedit, cutisque pustulis plena est: fluidissima sanguinis parte saepe simul expulsa, reliquam crassiorem partem hinc inde in corpore subsistere cogunt, febresque ita vehementes & periculosas accendunt. Vires praeterea corporis, optimum contra omnes morbos remedium, certissime frangunt. Grauis certe & seria admonitio! Indicationi in tantum satisfaciendum est, in quantum non instat grauius malum, si ei nimium satisfaciamus. Curemus solcite, ne propulsione nostra cutem versus nimios motus in praecipua nostra humorum massa incitemus, qui inflammationis causae euadere possunt. Arceamus igitur omnes conclauium vias, per quas aditus libero patet aëri, imprimis si sit ventosus. Non permittamus nec amicis, nec domesticis, ut raptim ac tumultuarie ad aërum accedant, ne quem ventum motitatione sui corporis efficiant. Conclauē aëri sit modice calidum, nec nimis frigidum, sed temperatum. Vitetur etiam stragulorum & indusiorum, quoad fieri potest, mutatio, ac potius iam trita, sicca & fumigata loco veterum injiciantur, vel aliquo tempore ab aliis adhibita & gestata aëri usurpent, nisi ferre prorsus vetera possint. In lecto multis stragulis se non onerent, nec sudorem exire cogant; sed modice contacti spontaneum tolerant. Quum etiam vapores & exhalationes tam aëris, quam quæ ex aëri corpore continue migrant, propter impuritatem suam & refrigerium nocere possint, curandum est, ut aër conclauis subinde renouetur, & purior reddatur; quod fieri potest per nouum aërem, interdum forinsecus admissum, hac tamen ratione, ut tegumentis interim & paullo post, ille ab aëri corpore arceatur.

§. XLIV.

Quum metus sit, ne in febre miliari ingruente & extremitates vasorum cutaneorum constrictæ sint, (§. XXXVIII) perplacet ab initio adhibere modicas frictiones totius corporis cum pannis tenerioribus laneis, modice excalescentis, quibus spes est, ad transmissionem liquidorum magis disponi illa vascula, idque sine vlla commotione, quæ febrile incendium augere posset. Hac frictione, sed linteis ad illam adhibitis, vsum olim esse Physicum Backnangensem Cel. Dn. Lic. NEVFFERVM, relatum nobis est. Præterea vix aliis ex fonte pharmaceutico petendis molestus esse cuperem, nisi forte in exanthematum segniori eruptione, ubi emulsionem e sem. nap. aquileg. card. ben. aut mar. vel & mixturas ex aquis diapnoicis, utrasque cum pulu. bezoardico SENNERTI, vel LVD. vel HOFFM. vel pulu. contra acredinem pharm. nostræ, vel pulu. cephal. cum sach. CAMER. vel pulu. cephal. WINTERI, vel pulu. ceru. CAM. vel pulu. e chelis cancr. comp. minus pretioso & pretioso, sed minus abundanti dosi suaderem. Secundæ simul indicationi satisfieri posset, quæ est, serum sanguinis a parte purpurea facile reddere separabile, quod mea sententia etiam sine magna commotione humorum nostrorum fieri, atque simul nisum materiæ morbificæ cutem versus egregie juuare potest. Obseruavi hoc cum paucis granis mercurii dulcis præstari posse, si pulueres fierent, quorum singuli scrupulo dimidio pulu. e chel. 69. comp. & dimidio grano mercurii dulcis constant. Horum puluerum singulis diebus quatuor deglutiantur, donec effectu sperato potiaris. Sæpe contingit, ut pulueres ejusmodi vnam & alteram sedem moueant, sed cum hoc fiat ab initio morbi, neminem hic successus terreat. Vt primum pustulæ erumpunt, aut anxietates & oppressiones leuantur, usu eorum abstinendum est. Affirmare possum, me non vna vice saluberrimos effectus hujus remedii conspexisse. Cui interea adhuc ad diluendos humores pro potu ordinario, si quis multitudine rerum delectetur, jungi potest decoctum hordei & liquirit. cum rad. scorzoner. farparill. chin. vel graminis. Ad vires conseruandas aut resarciendas juscula gallinarum juniorum non pingua, nec nimium calida, aut gelatina e C. C. aut ebore, aut ex utroque, aliquanto calefacta, præberi possunt.

§. XLV.

Post eruptionem pustularum dispiciendum est, num illa spisso agmine prodierint, an parcius? Si prius, curandum est, ne transpirationis



insensibilis fere suppressio noxam pariat ægro, metus enim est, ne, si quid adhuc causæ morbificæ in corpore relictum sit, illud præ nimia vasculorum in pustulas jam eleuatorum copia, locum in vasculis cutis vacuum inuenire, adeoque mala mortifera intus hærens patrare possit. Duo, quantum memini, huic incommodo adhuc excogitata sunt remedia; Primum exhibent vesicatoria, quæ variis in locis pro rei exigentia applicari solent, in nucha, inter scapulas, in artubus, tam superioribus, quam inferioribus, in quibus feri magna copia colligi & vna cum eo etiam materiæ morbificæ quædam pars excerni solet. Plerumque vnum tantum, aut duo excitantur vesicatoria, si vero causæ, cur excitare ea iudicatum est, non cessauerit, prioribus vesicatoriis exsiccatas noua excitantur. Alterum est, frictio pustularum ope lintei calidi valida ad disruptionem pustularum vsque, quam a supra laudato Physico NEVFFERO, magno & faustissimo cum successu fuisse sæpius tentatam Cl. Dominus Med. Candidatus GEORGII, propediem Licentiatus futurus, mihi retulit. In postrema hac methodo simul cauetur, ne retrocedere possit materia morbifica, cum plane e corpore eliminetur. Si vero, quod interdum accidit, nouæ cohortes materiæ morbificæ cutem versus perueniant, (§. XXV) eadem methodo illas necauit. Experientiæ vltiores demonstrabunt, annon ad perfectionem curationis opus sit, vt hæc materia aliquantisper adhuc in cute perduret, antequam eliminetur, annon forte ejus in pustulis permanens caueatur ejus multiplicatio, & quæ sunt similia. Quales experientias Medico dignissimas reputo, quia, si succederent in salutem ægri, multæ vltiores curæ & sollicitudines rescinderentur.

§. XLVI.

Nisi posteriorem methodum inire velimus, quæ nullos adhuc habet asseclas, quia, quod sciam, cum suo inuentore interiit, varia certe periculosa per decursum morbi ingruunt symptomata, quibus obuiam ire Medicum decet, quoad ejus arti possibile est. Non boni ominis est, si pustulæ mox comparent, mox disparent, peioris, si integre disparent, & oppressio pectoris summa viresque admodum dejectæ spem nouæ eruptionis plurimam adimunt. Etiam hisce difficultatibus ingruentibus in vesicatoriis omnis & fere vnica spes quæsitæ est.* Liberalior infusorum & decoctorum alexipharmacorum calidorum vsus quibusdam per-

* Vnde dissertatio enata est Christ. Georg. Justi von LÜBKEN Göttingæ 1743. de purpura retrograda per vesicatorii vlcus soluta.

perplacet: Sed noxius deprehensus est, quia nimium exagitauit humorum mas-
sam & magis obstitit eruptioni papularum. Potus autem calidus quicunque, mo-
do non alexipharmacus, etiam Theæ, opportunus censetur ad vasa leniter sti-
mulanda, humores cutem versus propellendos & hanc apte relaxandam adeo-
que ad promouendum exanthemata. Cel. HOFFMANNVS Med. rat. Syst. Tom. IV.
Part. I. Sect. I. Cap. IX. Præferu. & curat. §. 2. p. 212. Spiritus bezoardici Bus-
sui tertiam partem cum liquore anodyno minerali mixtam in hunc finem com-
mendat. Cel. ETTMÜLLERVS l. c. l. 478. a. bezoardicum Jouiæ tam simplex,
quam compositum, atque his affine sudoriferum maximum Petri Joannis FABRI,
aut fere simile Bezoardicum Jouiæ MINSICHTI quam maxime laudat. Aliis
placent omnes lapides bezoar, sc. orientalis, occidentalis, de Coromandel &
factitius de Goa, lapis porcinus, vulgo piedra del porco, ossa de corde cerui.
Sed egregie GALENVS: *Difficile est, ejusmodi aliquod auxilium inuenisse, quod
extra noxam ullam magnifice proficit.* Nullum certe dubium est, quin dicta medi-
camenta insigniter calefaciant, sed naturæ a via aberranti non semper præsidio
sunt. Tantos effectus, quales nominati auctores de suis medicamentis glorian-
tur, fateor me non vidisse. Nolim tamen repugnare, quo minus in casu graui
& extrema minante tententur, si opum tantum superest. Tentavi non vna vice,
cum a retrocessione pustularum metuerem, mercurium dulcem eodem modo
exhibere, vti jam supra dixi (§. XLIV) & res ista feliciter cessit, nec diffiteor,
eam aliquando minus prospere successisse. Sed vtriusque causæ me latent.
Persuasum mihi quidem non facile erit, virtutem specificam residere in mer-
curio dulci,* quod enim specificum est, non vno, sed omni tempore iuuat; Ex-
ceptis illis casibus, vbi gangræna aut sphacelus internas jam partes occupauit,
quando vel Medici expertissimi vel cuiuscunque hominis auxilium nullum est.

§. XLVII.

Ne facile ejusmodi metus retrocessionis premat, credo, consultius fore, si
mox, cum pustulæ eruperint, ejusmodi medicamenta exhibeantur, quæ retro-
cessioni sint contraria, scilicet diaphoretica temperatiora, mixtura simplex, es-
sentia alexipharmaca temperata STAHLII atque emulsiones ejusmodi aut mix-
turæ, quales antea jam nominaui (§. XLIV) Expertus etiam sum virtutem an-
timonii diaphoretici, quod multis laudibus extollit egregius HAMILTON, ejus-
que vires experientia etiam nostra quam ratiocinio Boerhauiano majores ipse de-
prehendi, quin interdum insigniter auctas vidi additione Kermes mineralis** &
parcæ camphoræ quantitatis; Prius autem inprimis egregie successit, quando
vel asthma conuulsium vel dolor aliquis pleuræ febrim comitabatur.

§ XLVIII.

Et hæc fere præcipua sunt, in quibus fundamentum totius curationis ponen-
dum

* Facile alioquin pronus essem in hanc sententiam, egregium Ioa. Gerard.
WAGNERVM, Cel. Lubecensium Medicum, in Epist. ad Medicorum Mœno-
Francofurtensium ordinem de medicamento quodam ad puerperarum febres mali-
moris inprimis sic dictam purpuratam specifico Lubecæ 1742. intellexisse mer-
curium dulcem.

** Qua in re consentientem habeo Franc. Xauer. MILLARS in Diss. de explo-
rata Kermes mineralis s. pulueris Carthesianorum in medendo efficacia. Ar-
gentorat. 1752. habita.

dum esse crediderim. Prolixiori esse non licet, chartæ enim angustia obstat. Symptomata quæcunque in febre miliari simplici iisdem fere remediis, quam dictum est, profligare conveniet. Via expulsionis per cutem omnium optima & tutissima est, quam, quomodo fieri debeat, jam explicavi. Per totum curationis tempus præcipue etiam cavendum est ab omnibus animi affectibus vehementioribus, ira præcipue ac terrore, quoniam sub iis exanthemata subito retrocedere, anxietates augeri, motus spastici vel convulsivi cieri, atque deliria vario modo excitari solent.* Hæ cautiones cum medicamentis leniter diaphoreticis magnum punctum in curatione ferent. Nec consequentia febrem miliarem tanquam res magni momenti considerare æquum est. Plerumque vires restituendæ sunt, & metus febris hæcticæ abolendus est, ubi omnem fere paginam absoluit corticis-peruviani usus. Consentientem habeo nunquam satis laudandum WERLHOPIVM** & HAMILTONIVM, licet hunc tacite tantum.

§. XLIX.

Neque cogitata de venæsectione, purgatione & clysmatibus in febre miliari simplici, an proficua sint? prolixè explicare operæ erit pretium. FRID. HOFFMANNVS non admittit venæsectionem.† Vires ægro deficient, & hic defectus non a plethora venit; remanente itaque perturbare piaculum foret. In puerperis, quando lochia retenta sunt, concedit. HAMILTON raro permittit, nisi ex urgente aliquo symptomate, videlicet asthma, pleuritide aut simili. Et certe raro conducit. Vidi, etiam lochiis retentis curationem sine venæsectione egregie processisse. Exc. E. CAMERARIUS †† in malignis febribus omissionem sæpe præstantiorem videri autumat. Pulsus durus & tensus omnino indicat venæsectionem, qui perquam in hac febre rarus est, quo tamen contingente non repugnauerim. Quod spectat ad purgationem, tam sursum, quam deorsum, jam indicauimus, si suspicio sit, aliquid circa præcordia harere, ab initio omnino esse instituendam. (§. XL) Ipsa experientia non vna vice mihi confirmavit, quando purgatio talis ab initio sponte contigit, vel mercurii dulcis forte usu sulcitata est, nihil nocuisse. Magis tamen inclinauerim in emesin. In ipsa tamen curatione aut pustulis egressis nocere posse vtramque purgationem, præstantibus auctoribus id confirmantibus, facile crediderim. Ideo, tunc temporis purgantis loco, si alius forte per quatuor quinque dies adstricta maneret, quod sæpe propter flatum nimium retentos accidit, clysmatis applicationem suadeo. Supra dictus cautissimus Practicus E. CAMERARIUS loco allegato nec damnat clysteres, periculose autem dari in malignis iudicat. Purgationem in fine morbi non repeto, commendatam supra §. XL.

§. L.

Febris miliaris composita tantum non semper admittit venæsectionem, quod indicabit pulsus. Plerumque etiam orgasmus sanguinis ejus detractioe deservet, ut postea tuto adplicari possint eadem remedia, quæ febrim miliari simplici conducere supra exposui, quæ nec illi, quæcum conjuncta est, febrim, villo modo nocebunt, sed vtramque repriment. Semper tamen vtriusque conditio respicienda est, & prudentiam Medici requirit.

* GERIKE l.c. §. 23. p. 22. ** l.c. p. 293. † l.c. Cautelæ & observat. clinicæ §. 6.

†† De nequitia febrium resp. Joa. Georg. PFENNING. 1732.